



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Quid est Eucharistia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacramento Euchar. Cap. I. 127

mentum est prefigurativum fruitionis Dei,
qua erit in patria; & secundum hoc dicitur
VIATICUM; quia hic præbet nobis viam
illuc perveniendi; & secundum hoc etiam di-
citur **EUCHARISTIA**, id est, bona gra-
tia, quia gratia Dei vita æterna, dicitur Rom.
6. vel quia realiter continet Christum qui est
plenus gratiæ. Dicitur etiam in Graco Meta-
lepsis, id est, *assumptio*, quia, ut Damasce-
nus dicit, per hoc Filii Deitatem assumimus.

Secundam ejus significationem innuit Apo-
tolus, cùm ait: *Quoniam unus Panis, unum* 1. ad Corin-
Corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane th. v. 10. c.
participamus. 17.

Dicitur etiam in Catechismo Concilii Tri-
deatini, *Sacramentum pacis & charitatis*; ut p. 1. De Eu-
char. Sacramen-
tu. 4.
intelligeremus, quām indigni sunt Christia-
no nomine, qui inimicitias exercent; odiaque,
dissidia, & discordias, ut tēterrīmas Fide-
lium pestes omnīnō exterminandas esse, cùm
præsertim quotidiano Religionis nostra sacri-
cio, nihil nos studiosius servare, quām pa-
cem & charitatem profiteamur.

*Quest. 2. Eucharistia est-ne Sacra-
mentum?*

Resp. Est de fide, Eucharistiam esse Sacra-
mentum, cùm id definitum fuerit in Concilio
Lateranensi sub Innocentio III. in cap. Firmi-
ter. *De summa Trinitate.* Et cap. 1. & 2.
fess. 13. Conc. Trident. & ut ait sanctus Anto-
ninus; *Eucharistia est maximum Sacra-
mentum quoad essentiam, licet quādam alia di-* S. Ant. 3. p.
cantur majora secundūm alios respectus; unde tit. 14. c. 124
versus: Major in effectu Baptismus: Corpus in princ.
in esse: Conjugium signo majus, sed Chrisma
Ministro.

Quest. 3. Quid est Eucharistia?

Resp. Est novæ legis Sacramentum continens

F. iiii

128 TRACTATUS IV.

sub speciebus Panis & Vini Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi vi verborum consecrationis, institutum ad spiritualem hominis refectionem.

Hæc definitio complectitur materiam, cùm dicitur, *Sacramentum Corporis & sanguinis Iesu-Christi*: Formam, cùm dicitur, *vi verborum consecrationis*, quæ sunt forma hujus Sacramenti: *Institutum*, significat causam efficientem, quæ est Christus: *Ad spiritualem hominis refectionem*, significat causam finalem, quia est finis & effectus hujus Sacramenti. Hæc definitio satis clara est, nec ulteriori indiget explicatione, pleniùs tamen patet, ex infra dicendis, in Capitibus sequentibus.

Quæst. 4. In quonam propriè consistit Sacramentum Eucharistiae?

Resp. De fide est, Definitum in Concilio Tridentino, Eucharistiam non consistere in re aliqua transeunte, cujusmodi sunt verba consecrationis, & usus qui fit hujus Sacramenti, in ejus sumptione, fractione, distributione, &c. sed consistere in aliqua re per-

sess. 13. Can. 4. manente. Si quis dixerit, ait Concilium Tridentinum, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistia Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu-Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis qua post Communionem reservantur, vel supersunt non remanere verum Corpus Domini, anathema sit.

Et consequenter hoc Sacramentum ab aliis differt; quia illa consistunt in actione transeunte, quæ est applicatio formæ ad materiam, ut Baptismus in ablutione, ita ut non existant, nisi dum conferuntur, aut suscipiuntur: At